

Gilbert of Tournai OFM

Elysabet¹

Quesivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum, Prov. ult. (31, 13). Verbum hoc potest allegorice exponi de beata Elizabeth, que pro Christo paupertatem sustinuit, et de labore manuali vixit; unde *quesivit lanam* etc. Spiritualiter anima fidelis querit linum et operatur in eo.

<1> Linum autem hoc primo seritur per intencionem mundam, quia ab intencione inchoatur opus; de qua intencione, Luc. XI. (34): *si oculus tuus simplex fuerit* etc. Huic autem officio assistunt due virgines: Humilitas semen iaciens, et se inclinans, Taciturnitas semen operiens, ne a vento elacionis tollatur vel {337rb} a volucris vanitatis comedatur; Tren. III. (28): *sedebit solitarius et tacebit*; *sedebit* per humilitatem semen iaciens, *tacebit* per taciturnitatem operiens.

<2> Secundo linum metitur per prudentem inquisitionem; Ioh. III. (35): *videte quasi regiones albe sunt ad messem*. Huic officio assistunt due virgines: Diligencia, que colligit manipulos; Vigilancia, que stringit et ligat eos. Diligencia procurat, ut quod non habet, habeat, Ecc. IX. (10): *quodcumque potest manus tua instanter operare* etc. Vigilancia procurat, ut quod habet, non pereat, Apo. III. (11): *tene quod habes*.

<3> Tercio rigatur per fluentem compuncionem, Ps. (6, 7): *lavabo per singulas noctes lectum meum, in lacrimis meis stratum meum rigabo*. Huic officio assistunt due virgines: Frequentia Lacrimarum linum madefaciens et copia mollificans. De primo, I. Reg. I. (14), dictum est Anne flenti: *digere paulisper vinum, quo mades*. De secundo, Can. V. (6): *anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est*.

<4> Quarto siccatur per ferventem meditationem, Ps. (38, 4): *concaluit cor meum intra me, et in meditationem exardescet ignis*. Huic officio assistunt due virgines: Dileccio, que linum

¹ Base ms.: LI = Lilienfeld, StB, ms. 49, f. 337ra-va. Collated mss.: MU = München, SB, Clm 16037, ff. 52r-v, 55r; P1 = Paris, BN, ms. Lat. 15933, f. 190ra-va; P2 = Paris, BN, ms. Lat. 15942, f. 39ra-vb; P3 = Paris, BN, ms. Lat. 16478, ff. 42rb-43ra.

facit calidum, Devocio, que candidum. De primo, Luc. ult. (24, 32): *nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Ihesu dum loqueretur nobis in via?* De secundo, Apoc. III. (3, 18): *vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tue.*

<5> Quinto a stipula separatur per puritatem confessionis, Ierem. XV. (19): *si separaveris preciosum a vili, quasi os meum eris*, quod fit in confessione. Huic officio assistunt due virgines: Severitas, que quasi ferro confringit rigorem calami, Veritas, que separat stipulam a substancia lini. Severitas est in confessione ut non tibi parcas; Ps. (31, 5): *dixi 'confitebor adversum me et iniusticiam meam Domino'*. Veritas est ut nihil abscondas; Prov. (28, 13) *qui enim abscondit scelera sua non dirigitur.*

<6> Sexto in fila extenuatur per secretam oracionem dominicam; oratio est pius affectus in deum directus;² Mt. VI. (6): *tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum et clauso hostio ora Patrem tuum in abscondito.* Huic officio assistunt due virgines: Supplicacio, que tenet colum, Graciarum Accio, que trahit filum. Linum involvitur in colo: peccatorum confusio; linum explicitum in filo: peccatorum remissio. Supplicacio ergo est, cum dona postulas, dicens “miserere mei Deus”; Graciarum Accio, cum donantem laudas, dicens “laudate Dominum {337va} de celis”.

<7> Septimo textitur linum per iugem operacionem, de qua textura, Ys. XXXVIII. (12): *precisa est, velud a texente, vita mea.* Huic officio assistunt due virgines: Conversio, que orditur, Conversacio, que fila coaptans et continuans textit. De primo, Ys. XXXVIII. (12): *dum adhuc ordiner succidit me*; Ys. XXVI. (25, 7): *telam, quam orditus est super universas naciones.* De secundo, Iob VII. (6): *dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur.*

<8> Octavo scinditur per subtilem discrecionem, que resecat superflua et auget imminuta. Huic officio assistunt due virgines: Temperancia, que cohibet ultragium, et Frugalitas, que

² This quotation may go back to a Pseudo-Augustinian work, the *De spiritu et anima*, PL, vol. 40, col. 816: “Oratio est mentis devotio, id est, conversio in Deum per pium et humilem affectum”. Formulations closer to the one in the present text are in RADULPHUS ARDENS, *Homelie in epistolas et evangelia dominicalia*, hom. LXII, PL, vol. 155, col. 1901A: “Est autem oratio pius mentis affectus ad Deum”; in PETER THE CHANTER, *Verbum abbreviatum*, 124, PL, vol. 205, col. 318B: “oratio pius animi affectus, vel motus ad Deum”; and in ANDREW OF ST. VICTOR, *Exp. hist. in lib. Regum*, I Reg. 1, 28 (CCCM, 53A): “Oratio est pius ad Deum mentis affectus et sanctum desiderium”.

supplet citragium. Unde scribitur, est modus in rebus, sunt certi denique fines / quos ultra citra que nequid consistere rectum.³

<9> Nono sumitur per spiritualem communionem, Ps. (54, 15): *in domo Dei ambulavimus cum consensu*. Huic officio assistunt due virgines: Unitas Sacramentorum, que convenit omnibus christianis, Unio Morum, que convenit omnibus religiosis. De primo dicitur in symbolo “sanctorum comunem”. De secundo in Ps. (67, 7): *qui habitare facit unius moris in domo*.

Et sic patet quomodo nobilis hec mulier *quesivit linum et operata est in eo consilio manuum suarum* – hec sunt auxilia virginum et virtutum – ut haberet vestimentum, quo indueretur ad illud perhenne convivium, de quo, Ys. (52, 1): *induere vestimentis glorie tue, civitas sancta*. Ad quod convivium nos perducatur etc.

³ Horace, *Satirae*, I, 1, 103.